

*Criteriologiam* vocavimus. — Quanquam apud Aristotelem multa inveniuntur de vi potentiæ animæ, maximè cùm de scepticis et sophistis agit, contra eos vindicat certitudinem et varias eorum objectiones refellit. — Tribus igitur jure partibus hodie constat Logica.

Grandia autem ac subtilia Kantii et Hegelii studia potius ad eversionem quàm ad instaurationem Logicæ fecerunt; quippe Kantius *subjectivismum*, Hegel autem identitatem contrariorum propugnavit.

---

LOGICÆ PRIMA PARS  
DE VERITATIS INVENTIONE  
SIVE  
CRITERIOLOGIA

---

*Criteriologiæ* objectum et divisio.

16. 1° Criteriologia idem sibi vult ac sermo de criteriis. Porrò vox criterium designat varia *instrumenta* quibus utimur ad certitudinem acquirendam, seu ad inveniendam veritatem, simul ac *signum* quo veritas ab errore ultimò discernitur.

Quamobrem criteriologia tota in eo est ut naturam ac vim certitudinis declaret, diversa criteria expendat et ostendat legitima, eaque ad commune fundamentum revocare conetur ac demum vindicet a scepticorum objectionibus.

2° Hinc sequitur criteriologiæ *divisio* in quatuor capita; quorum 1<sup>um</sup> notiones generales exponet de veritate, de certitudine, necnon de evidentiâ; 2<sup>um</sup> de variis criteriis sigillatim disseret; 3<sup>um</sup> de reductione variorum criteriorum ad criterium unicum; et 4<sup>um</sup> de scepticismo, qui certitudini opponitur.

---

## CAPUT I

NOTIONES GENERALES DE VERITATE, CERTITUDINE  
ET EVIDENTIA

## ARTICULUS I

## De Veritate (1).

Circa veritatem investigabimus : 1° Quid sit et quotuplex?  
2° Quotuplex esse possit status animi erga illam?

## § I. — De natura et diversis speciebus veritatis.

17. 1° Veritas, generatim inspecta, definiri potest *convenientia vel adæquatio inter rem et intellectum*. Quare tria supponit, nempe objectum aliquod, subjectum et convenientiam inter utrumque, in quâ propriè consistit.

2° *Divisio* veritatis sumi potest vel ex parte objecti, vel ex parte *subjecti* simul et *objecti*.

1. *Ex parte objecti*, veritas distinguitur in *necessariam* et *contingentem*, prout *non potest non esse, nec esse aliter atque est*, vel *posset non esse, aut esse aliter atque est*; v. g. existentia Dei est veritas necessaria, existentia autem mundi, veritas contingens.

2. *Ex parte subjecti simul et objecti*, veritas bifariam dividitur, scilicet in *logicam, metaphysicam et moralem, et in primitivam ac deductam*.

Veritas logica est *convenientia intellectus creati cum re cognitâ*, vel, ut præclara D. Thomæ verba usurpemus « *adæquatio intellectûs et rei, secundum quod intellectus dicit esse*

(1) Cf. S. Th., 1<sup>a</sup>, q. 16.

« *quod est, et non esse quod non est.* » (Cont. Gent., l. I, c. 59).

Veritas logica, seu *cognitionis*, propriè invenitur in illo rationis actu qui *judicium* vocatur; in eo enim, et in eo quidem solo, ratio confert notionem suam cum re ipsâ, et percipit atque affirmat eam illi æqualem esse.

Veritas *metaphysica* seu *ontologica*, est *convenientia rei cum intellectu Dei a quo pendet in suo esse*. Maximum igitur viget discrimen inter intellectum divinum et intellectum creatum relativè ad rerum veritatem; siquidem eæ sunt veræ, quatenus divino intellectui conveniunt, et contrâ, intellectus creatus est verus, quatenus rebus convenit. Est ergo intellectus divinus *rerum mensura*, dum intellectus creatus a *rebus mensuratur*.

Veritas *moralis* definitur *convenientia sermonis cum animi sententiâ* (1). Ipsi opponitur *mendacium*. Veritas moralis est propriè *veracitas*, et magis pertinet ad voluntatem quàm ad intellectum.

In hoc tractatu agitur de veritate logicâ.

Veritates primitivæ dicuntur *quæ ab omnibus intelliguntur sine ullâ demonstratione*, et ex quibus aliæ veritates per demonstrationem educuntur; v. g. *totum est majus sua parte*. Veritates deductæ illæ sunt *quæ ex aliis ope ratiociniû eruntur*, et ideo non sunt omnibus manifestæ; v. g. creatio animæ humanæ a Deo.

## § II. — De vario animi statu erga veritatem.

18. Quintuplex concipi potest animi status erga veritatem, nempe error, ignorantia, dubium, opinio et certitudo.

*Error* est ille animi status, in quo *adhæret alicui enunciationi falsæ*, nempe attribuit alicui rei quod ei non convenit, vel de eâ negat quod ei convenit.

*Ignorantia* est status in quo mens *veri notitiâ destituitur*;

(1) Veritas moralis aliquando sumitur in sensu merè objectivo, ad designandum veritates quæ pertinent ad regulas morum, aut ad eas aliquam saltem relationem habent; in hoc secundo sensu providentia Dei et immortalitas animæ hominis inter veritates morales computantur.

ab errore differt, quia in errore mens profert iudicium falsum, dum in ignorantia nihil affirmat aut negat. — Quod si ignorantia sit alicujus veritatis quam quis scire debet, dicitur *privativa*; secus, dicitur simplex *nescientia*, seu ignorantia merè *negativa*.

*Dubia* mens est cum fluctuat anceps, *nulli parti adhærens*. Dubium erit *negativum*, si mens ideò de re aliqua nihil affirmat vel negat, quia nulla ratio neque affirmandi, neque negandi occurrit; *positivum*, si rationes æquales utrinque occurrunt. — Ut vides, dubium differt ab ignorantia, quia in ignorantia nulla rei idea vel suspicio habetur, dum in dubio adest aliqua idea objecti, quæ tamen non sufficit ad proferendum iudicium.

*Opinio* rectè a S. Thomâ definitur « *adhæsiō mentis unicum formidine alterius* ». (2<sup>a</sup> 2<sup>o</sup>, q. 2, a 2, c). Scilicet includit animi quamdam adhæsiōnem alicui rei; unde distinguitur a dubio, in quo adest suspensio et veluti æquilibrium; sed adhæsiō ista formidolosa est et falli metuens. Porrò is erroris metus oritur ex eo quòd animus, licèt plures rationes ex unâ quàm ex alterâ parte percipiat, advertit nihilominus rationes etiam in parte cui non adhæret; itaque non habet aliud nisi *probabilitatem*.

Opinionem connectitur *suspensio* veluti species ejus infima. *Suspensio* igitur est status ille animi inter opinionem et dubium medius, quo nondum iudicamus, quia non adsunt motiva sufficientia, sed tamen *ad iudicandum inclinamur*, propter quasdam causas leviores.

*Certitudo* est mentis *quies in veritate adeptâ*, ut sonat ipsa vox *aquiescere veritati*. Quoniam gravis sunt momenti quæ ad certitudinem spectant, de illâ speciatim disserendum est.

## ARTICULUS II

### De Certitudine.

Præstat inquirere de certitudinis notione, speciebus, existentia et gradibus.

### § I. — De certitudinis notione ac speciebus.

**19. I. Certitudinis notio.** — Certitudo definitur: *Firma mentis adhæsiō ad veritatem cognitam* (1).

Dicitur 1<sup>o</sup> *firma mentis adhæsiō*; quibus verbis, discriminetur ab opinione et dubio.

Dicitur 2<sup>o</sup> *ad veritatem cognitam*, ut ab errore secernatur. Potest enim qui errat bonâ fide, firmiter errori adhære; at adhæsiō illa, quam *convictionem* vel *persuasionem* vocares, distinguenda est a certitudine. Nam certitudo cognitionem aliquam præ se fert; porrò quod non est, cognoscere minimè potest, seu, ut ait D. Thomas, « *scientia non est de falso* ». (In 1<sup>am</sup> epist. S. Pauli ad *Timoth.*, c. 2, lect. 2<sup>a</sup>) (2).

Quare probandi non sunt qui, ut Balmès, certitudinem totam reponunt in firmâ mentis adhæsiōne ad aliquam enuntiationem seu veram, seu falsam. Sæpe quidem in *vulgari* sermone, mera persuasio, forsitan erronea, certitudo nuncupatur; et qui tuentur opiniones adversas, certos utrinque sese affirmant. At duæ sententiæ contradictoriæ simul veræ, ac proinde simul certæ esse nequeunt; quare, in eo casu, certitudo per *abusum* vocis ab alterutro contendente usurpatur.

**20. II. Diversæ species certitudinis.** Dividi potest certitudo seu ex parte elementorum quibus conflatur, seu ex parte modi quo acquiritur.

1<sup>o</sup> *Ex parte elementorum quibus conflatur*, certitudo generaliter dividitur in *objectivam* et *subjectivam*. Prior est ipsa *veritas* (quæcumque hæc sit) quæ menti objicitur vel objici potest. Posterior contra est ipsa *adhæsiō* quam mens præstat ad veritatem (3). — Attamen notare præstat certitudinem naturâ suâ *primariò* subjectivam esse, nec nisi *secundariò*

(1) Ad rem D. Thomas: « Certitudo propriè dicitur firmitas adhæsiōnis virtutis cognitivæ in suum cognoscibile. » (In III *Sent.*, q. 2, a. 4, c.).

(2) Et rursus: « Cognitionis certitudo est quando cognitio non declinat in aliquo ab eo quod in re invenitur, sed hoc modo existimat de re sicut est. » (De Ver. VI, c. a 3) cf. Bossuet, *Conn. de Dieu et de soi-même* I, § 6.

(3) Juxta Kantium et quosdam recentes, certitudo subjectiva refertur ad affectiones seu phænomena interna subjecti cognoscentis, dum certitudo objectiva spectat ad res subjecto exteriores.

transferri ad objectum ipsum, quatenus in nobis certitudinem gignit vel gignere potest.

Rursus, objectiva certitudo dividitur ipsa in *metaphysicam*, *physicam* et *moralem*.

Certitudo *metaphysica* refertur ad *veritatem necessariam*: tale est v. g. principium istud: *totum est majus sua parte*. Veritas illa, cum in ipsâ rerum essentiâ fundetur, est absolutè necessaria, et contrarium ejus est metaphysicè seu absolutè impossibile.

Certitudo *physica* refertur ad veritatem quæ nititur vel in aliquo *facto*, vel in aliquâ *lege mundi corporei*; ita physicè certum est existere corpora, pane famem sedari. Cum autem leges mundi corporei non sint nisi *hypotheticè* necessariæ, veritas physica solum hypotheticè necessaria est.

Certitudo *moralis* refertur ad facta vel leges quæ ad liberam hominum activitatem spectant, vel hominum testimonio innotescunt; v. g. moraliter certum est filios a matribus amari, et in primis Ecclesiæ catholicæ sæculis, christianos permultos, ob fidei christianæ odium trucidatos esse.

Quæ quidem certitudo discernenda est ab eâ quam etiam *moralem* certitudinem vocant, etsi non sit nisi magna probabilitas, sufficiens ad vitam in multis casibus prudenter ordinandam.

2° *Ex parte modi quo acquiritur*, certitudo distingui potest in *naturalem* et *supernaturalem*, in *vulgarem* et *philosophicam*.

1. Certitudo *supernaturalis* ea est vi cujus adhæremus ad aliquam veritatem, *revelatione* divinâ manifestatam; talis est assensus quem præstamus mysteriis Religionis catholicæ. Certitudo *naturalis* pertinet ad veritates humanâ *ratione* cognitæ.

2. Certitudo *vulgaris* ea est vi cujus animus ad veritatem adhæret, quin habeat cognitionem *explicitam* et *reflexam*, saltem motivi *ultimi* adhæSIONIS suæ; ita vocata fuit, quia vulgaris est suo processu eaque vulgus hominum uti solet (1).

(1) Docti etiam certitudine vulgari sæpe utuntur; multa enim admit-

Contra certitudo *philosophica* est firma mentis adhæSIO ad veritatem cognitam, cum *reflexione* in motiva adhæSIONIS et eorum *explicitâ* cognitione. — Prior vocatur *directa*, *spontanea*, *implicita*; posterior autem *reflexa*, *scientifica*, *explicita*. Prior scit quidem, sed non *scit scire*, dum posterior non tantum scit, verum etiam scit scire.

At immerito certitudo vulgaris confunderetur cum *credulitate cæcâ*; qui enim credulitate cæcâ impellitur, potest ad errorem adhæreere; si autem forte adhæreat ad veritatem, non tamen adhæret perceptionis impulsione; qui autem fruitur certitudine vulgari, ad veritatem adhæret, et quidem ipsâ vi perceptæ veritatis, quanquam non instituit scientificam analysim motivorum suæ adhæSIONIS, cum ipsi difficile sit supra suos actus redire, eorumque naturam et causas rimari.

## § II. — De certitudinis existentiâ et ratione (1).

### 21. Assertio 1<sup>a</sup>: *Existit certitudo.*

1° Nulla est ratio cur non existat; ut enim alibi dicemus, argumenta quæ sceptici contra eam movent, nullius sunt momenti. — 2° Homines horrent dubium et errorem, veritatem vehementer amant, ardenti zelo inquirunt; debent igitur eam aliquando assequi, quia desiderium *naturæ* nequit esse inane. — 3° Reipsa multa sunt ad quæ firmiter, sine ullo errandi metu adhæremus, non cæco impetu, sed ipsâ vi rei perceptæ; v. g. existere adspectabilem hunc mundum in quo vivimus, solem lucere in cælo, totum esse majus suâ parte, alia permulta, et clarè videmus et fortiter tenemus.

22. Assertio 2<sup>a</sup>: *Certitudinis existentiâ propriè demonstrari nequit, sed demonstratione non indiget.*

PROB. 1<sup>a</sup> PARS. — Illa demonstratio non valet, quæ supponit jam demonstratum quod in quæstione est et demonstran-

tunt quorum motiva seu rationem vel confusè solum apprehendunt, vel spontaneâ quadam intuitionem capiunt, absque ratiocinio et reflexione.

(1) Cf. S. Thom., in IV *Metaph.*, lect. 15; Balmès, *Philos. fundam.*, t. I, l. 1, c. 1 et 2; opus nostrum: *Le Kantisme et le Positivisme*, c. 1.

dum venit. Porrò, si quis demonstrare velit existentiam ac legitimitatem certitudinis, supponit jam demonstratum id ipsum quod in quæstione est; supponit enim se argumentari, et certam esse vim demonstrationis.

PROB. 2<sup>a</sup> PARS. — Demonstratione non indiget quidquid immediatè et clarè per seipsum intelligitur, cum non adhibeatur demonstratio, nisi ut obscura, per alia manifestiora, clara evadant. Atqui, ex dictis, factum certitudinis clarum est ex seipso et innixum immediatà evidentia. Ergo certitudinis existentia est veritas *primitiva*, posita *supra* omnem demonstrationem.

23. *Corollarium 1<sup>um</sup>*. Nisi admitteretur *aliquid* ante demonstrationem et sine demonstratione, nihil jam demonstrare liceret. Omnis quippe probatio nititur in veritate aliqua per seipsam clarà et manifestà; quare, si veritas altera per alteram probetur, et rursus alia per aliam, circulus in infinitum inducetur, et non erit aliquid firmum, unde *incipere* possit demonstratio.

24. *Corollarium 2<sup>um</sup>*. Cæterum demonstratio habenda non est ut *finis*, sed solum ut *medium*; quinimo perfectius invenitur veritas *intuitione*, seu perceptione *immediatà*, quam demonstratione seu perceptione *mediatà*, nec adhiberi debet demonstratio, nisi cum deficit intuitio.

**Assertio 3<sup>a</sup>**: *Primum philosophicum reponendum est in naturali legitimitate facultatum cognoscitivarum, si modo ritè adhibeantur.*

25. Recentes vocant primum philosophicum veritatem ante omnia admittendam, tanquam *initium* et *conditionem* totius Philosophiæ. Porrò hæc veritas simul ac philosophandi conditio nobis reponenda videtur in naturali facultatum nostrarum legitimitate, posito quòd illis recte utamur.

26. Ut autem illis rectè utamur, quatuor sunt necessaria: Oportet 1<sup>o</sup> ut facultates nullo vitio laborent, sed positæ sint in statu naturæ suæ consentaneo.

Oportet 2<sup>o</sup> ut exercentur intra limites objecti sui proprii; nam ad ipsum solum comparatæ sunt, et extra illud nullam omnino habent vim.

Oportet 3<sup>o</sup> ut ad objectum suum attendant cum diligenti applicatione.

Oportet 4<sup>o</sup> ut, si opus fuerit, maximè si occurrat quædam difficultas, variæ facultates *simul* agant ac mutuam sibi ferant opem.

27. His positis, singulæ facultates cognoscitivæ plenam et evidentem certitudinem assequuntur. Et 1<sup>o</sup> quidem hoc sua cuique testatur conscientia; nam quisque *naturaliter* suis facultatibus credit, imò illis, ut par est, utens, intimè conscius est se veritatem assequi. 2<sup>o</sup> Insuper non ægrè res *explicari* potest: Etenim, facultates haberi debent ut *instrumenta vel organa*, ad quasdam *functiones* deputata. Itaque ut securis valet ad scindendum, pedes ad ambulandum, stomachus ad digerendum, ita oculus ad videndum, auris ad audiendum, ratio ad intelligendum, et ita porrò de aliis. Si autem ad suum munus forent impares, jam non essent facultates aut organa veri nominis, sed otiosa potiùs simulacra, omni objecto ac fine destituta. Itaque principii evidētis loco habeatur illud D. Thomæ: « *Nulla potentia cognoscitiva deficit a cognitione sui objecti, nisi propter aliquem defectum vel corruptionem.* » (*Cont. Gent.*, l. III, c. 107).

Cæterum, res illustrior evadet ubi de vi *naturali* et proprio cujusque potentiæ cognoscitivæ objecto sigillatim disseremus.

### § III. — De gradibus certitudinis.

28. *Opiniones*. In hac solvendâ quæstione non consentiunt philosophi; alii enim nullos inesse certitudini gradus, eamque in *indivisibili* positam volunt; alii dicunt eam, prout est omnis dubii exclusio, non habere gradus, sed habere, si spectetur ex parte adhesionis animi et ejus causarum. Porrò ut quæstio rectè definiatur, seorsum considerare præstat certitudinem objectivam et certitudinem subjectivam.

29. **Assertio 1<sup>a</sup>**: *Certitudo objectiva gradus habet.*

Probatur quia certitudo objectiva nihil est aliud nisi veritatis *intelligibilitas*. Porrò intelligibilitas veritatis naturæ

seu entitati rei proportionatur, ac proinde major est vel minor, prout res cognoscenda perfectior vel imperfectior est; quod enim habet plus entis, habet etiam plus intelligibilitatis aut certitudinis.

Sub eo respectu, certitudo supernaturalis major est naturali, quum objectum ejus tantum sit ut rationem transcendat. Et inter varia certitudinis naturalis genera, certitudo metaphysica physicam necnon moralem superat, physica autem antecellit morali. Enimvero certitudo metaphysica versatur circa veritates universaliores et necessarias, quæ proin habent plus entis et intelligibilitatis. — Item *facta* et *leges* mundi physici majorem constantiam præ se ferunt quàm ea quæ a liberâ hominum activitate pendent, vel innotescunt hominum testimonio. Hanc ob causam, fortiùs adhæremus iis quæ præ oculis habemus quàm iis quæ ab aliorum testimonio accipimus. Hoc sensu D. Thomas: « Cæteris paribus, visio est certior auditu. » (2<sup>a</sup> 2<sup>æ</sup>, q. 4, a. 8, ad 2).

**30. Assertio 2<sup>a</sup>:** *Certitudo subjectiva gradus habet, si spectetur ex parte potentiarum animi quibus verum assequimur.*

Vel enim potentia cognoscitivæ considerantur in se et absolutè, vel relativè ad hominem.

*Si prius*, potentia nobiliores, certiores sunt inferioribus, v. g. intellectus certior est sensu, quia, utpote immaterialis, est immutabilior, et attingit objectum universale, immateriale, proin immutabile; dum sensus terminatur ad aliquid particulare, physicum et fluxum.

*Si posterius*, aliter sentiendum est, quippe cum imbecillior sit hominis ratio, et perfectior sensibilitas (est enim homo inter animalia primus, ultimus autem inter substantias spirituales), sensus possunt esse certiores intellectu, quia respiciunt objectum conditioni nostræ magis proportionatum.

**31. Assertio 3<sup>a</sup>:** *Certitudo subjectiva, prout est adhesio animi, non habet gradus, si spectetur ut exclusio dubii; habet autem, si spectetur ratione firmitatis adhæSIONIS.*

PROB. 1<sup>a</sup> PARS, quia ex definitione, quælibet certitudo dubium omne excludit.

PROB. 2<sup>a</sup> PARS, quia cognitio, ac proinde certitudo, potest esse magis vel minùs perfecta, pro vario acumine cognoscentis, ut clarè argumentatur Angelicus: « Unus alio potest eandem rem melius intelligere, quia est melioris virtutis in intelligendo; sicut melius videt visione corporali, in quo virtus visiva est perfectior. » (1<sup>a</sup>, q. 85, a. 7, c).

*Confirmatur* ex parte *causarum* certitudinis, scilicet ex parte *motivorum* quibus animus impellitur ad adhærendum rei cognitæ. Hæc enim possunt esse plura vel pauciora, majoris vel minoris ponderis; unde quo plura, vel majora, vel fulgentiora fuerint, eò majorem adhæSIONEM sollicitabunt. Ut enim lux ipsa varios suscipit gradus, prout oriente vix aurorâ, vel crescente sensim die, vel fulgentissimo demum sole se prodit, ita et certitudo quæ consistit in veritatis cognitione seu visione.

Quibus monitis, certitudo supernaturalis *quoad se* major est certitudine naturali, ex parte *motivorum*: quippe quæ fundantur in ratione divinâ, quæ falli nequit, dum motiva ordinis naturalis fundantur in humanâ ratione, quæ potest decipi. — At *relativè* ad nostram rationem, certitudo naturalis major est certitudine supernaturali, quia veritates rationales plenius assequimur quàm veritates supernaturales, quas *fide* solâ admittimus; fides enim semper aliquid obscuri præ se fert, et sæpe credenda exhibet mysteria.

Quia verò, ut monet D. Thomas, unaquæque res *simpliciter* ex naturâ suâ judicatur, et *per accidens* tantum ac *secundum quid* ex dispositione subjecti externi, *fides* dicenda est simpliciter certior, *scientia* autem secundum quid, scilicet quoad nos. (2<sup>a</sup> 2<sup>æ</sup>, q. 4, a. 8, c).

### ARTICULUS III

#### De Evidentiâ.

Quærendum est: 1<sup>o</sup> Quid sit? 2<sup>o</sup> Quotuplex? 3<sup>o</sup> Utrum omnibus veritatibus conveniat? 4<sup>o</sup> Utrum intellectus nihil admittere debeat, nisi quod evidenter percipit?

## § I. — Quid sit evidentia?

32. Philosophi quidam recentes habent evidentiam ut quid *subjectivum*; v. g. Cartesius eam definit *perceptionem claram et distinctam convenientiæ aut discrepantiæ idearum inter se*.

Porrò *secundario* quidem et per translationem ad perceptionem ipsam accommodari potest evidentia; sed patet eam esse *primario* qualitatem rerum, non autem subjecti percipientis.

Evidentia igitur merito definiri solet: *fulgor veritatis aptus ad eam menti manifestandam*.

Dicitur 1° *fulgor veritatis*, ut indicetur eam esse *primario* objectivam. Quare fungitur eodem munere relativè ad veritatem, quo lux relativè ad res corporeas. Ut enim res corporeæ visibiles oculis occurrunt ob lucem quâ irradian-  
tur, ita veritas circumfunditur luce quadam vi cujus rationi intelligibilis occurrere potest. — Nisi quòd *extrinseca* est rebus visibilibus, dum evidentia *inhæret* veritati, ut qualitas ejus *intrinseca*.

Quinimo a veritate non nisi *logicè* differt, quatenus ipsi addit specialem relationem ad intellectum a quo apprehendi valet, vel etiam est ipsa veritas, quatenus *fulgida*.

Dicitur 2° *aptus ad eam* (veritatem) *menti manifestandam*; quibus verbis insinuat evidentiam ex se habere unde suâ luce movere queat subjectum cognoscens. Ad eam quidem non pertinet quòd *actû* ipsum moveat et ab eo percipiatur, sed quòd *apta* sit ad ipsum movendum, si modo ipsum ad eam *debitè*, ut par est, *intendat*, adhibitâ scilicet sufficienti attentione et aliis quæ requiri possunt conditionibus.

## § II. — Quotuplex sit evidentia?

33. Evidentia *in se* inspecta una est, nimirum *fulgor veritatis*. Quum tamen, ex unâ parte, insit veritati, et ex aliâ parte, variè afficere possit subjectum cognoscens, sequitur eam trifariam dividi, nempe in *intrinsecam* et *extrinsecam*,

prout ipsa veritas nota est nobis *evidens*, vel solùm *evidenter credibilis*; evidentes porrò sunt *intrinsecè* veritates quas plus minùsve perfectè intelligimus; *evidenter* autem credibiles quas non admittimus, nisi ex aliorum testimonio; — 2° in *metaphysicam*, *physicam* et *moralem*, prout ad certitudinem metaphysicam, physicam aut moralem refertur; — 3° in *immediatam* et *mediatam*, prout primo intuitu nobis apparet, vel ratiocinio detegitur.

## § III. — Utrum evidentia omnibus conveniat veritatibus?

34. *Opiniones*. — Cartesius, Malebranchius et ontologistæ plurimi contendunt non omnes veritates evidentiam frui, sed eas tantùm quas absolutè necessarias et universales nuncupavimus. Alii autem docent evidentiam cunctis veritatibus competere.

35. Porrò *distinguendum* est inter evidentiam rerum *quoad se*, et evidentiam rerum *quoad nos*. Omnes veritates, *quoad se*, evidentiam gaudent; siquidem evidentia est intelligibilitas seu visibilitas rei, quatenus apta ad eam manifestandam. Sed omnis res, etiam contingens, imò infima, visibilis est vel intelligibilis, ac proin apta ad seipsam manifestandam. Unde S. Thomas: « Illa videri dicuntur quæ per seipsa movent intellectum vel sensum ad sui cognitionem. » (2<sup>a</sup> 2<sup>e</sup>, q. 1, a. 4, c).

Si autem agatur de evidentia rerum *quoad nos*, dicendum est non omnes res esse nobis evidentes, non propter earum defectum, sed propter imbecillitatem intellectûs nostri qui, ut jam cum Aristotele monuimus, « se habet ad manifestissimam naturæ sicut oculus noctuæ ad lumen solis ».

## § IV. — Utrum intellectus nihil admittere debeat nisi quod evidenter percipit?

36. Cartesius posuit primam logicæ suæ regulam in eo esse, ut admitteret quidquid intelligeret esse *sibi* evidens,

respiceret autem quidquid non evidenter intelligeret (1). Cartesio plausere omnes *rationalistæ*, qui arbitrati sunt inde sequi nullam fidem adhibendam esse nisi veritatibus quas percipere et *metiri* potest hominis ratio (2).

37. *Rejici* debet regula Cartesii, utpote quæ viam sternat *rationalismo*. — Cæterum, non tantum veritatibus revelatis supernaturalibus, sed ne ipsis veritatibus quæ ex *hominum testimonio* accipiuntur, applicari potest : nam istæ sunt quidem evidenter *credibiles*, nec tamen *a nobis* evidenter percipiuntur.

38. Tenenda est igitur hæc regula : *Nihil pro certo admittendum est, nisi sit aut aliquo modo evidens nobis, aut evidenter credibile*; homo enim, utpote ratione præditus, non adhæret alicui rei, nisi aut *auctoritate evidentiæ*, quum ipse veritatem percipit, aut *auctoritatis evidentiæ*, quum adhæret veritati non a se perceptæ, sed ab evidenti auctoritate traditæ.

Dixi 1<sup>o</sup> *pro certo admittendum est*; quia philosophus rejicere non debet quæ non sunt *absolutè* certa, si magnam habeant probabilitatem. Equidem semper *tendendum* est ad certitudinem; sed loco certitudinis, quæ non semper obtineri valet, ipsa probabilitas magni est pretii, utpote ignorantiam absolutam expellit, sinitque rem saltem *præsentire* et ad eam appropinquare.

Dixi 2<sup>o</sup> *aliquo modo nobis evidens*; quia plurimæ sunt veritates tum morales, tum etiam physicæ, ex quibus multæ momenti quidem gravioris, quas pro certis habemus, quin

(1) « Le premier précepte était de ne recevoir aucune chose pour vraie, que je ne la connusse évidemment être telle. » (*Disc. sur la Méth.*, 11<sup>e</sup> et IV<sup>e</sup> parties, et *Princip. de la philos.*, 4<sup>e</sup> p., n. 205, ubi asserit ex humano *testimonio* non propriè dictam accipi certitudinem).

(2) « Ce précepte contient toute une *révolution*; d'abord, il s'applique « à tous les emplois de la pensée; ensuite, il *émancipe* l'esprit et le « pousse à une juste indépendance... Par là tombent d'un seul coup toutes « les autorités..., même les dominations religieuses..., à moins que ces « autorités ne trouvent le secret de nous rendre *évidente*, et d'une *évidence* irrésistible, la vérité qu'elles nous apportent. » (Cousin, *Hist. de la philos.*, 8<sup>e</sup> leçon).

plenam earum evidentiam et a fortiori distinctam et adæquatam *explicationem* afferre possimus. Nostra igitur certitudo, ob imbecillitatem humanæ rationis, multo latius extenditur quàm *evidentiæ* aut *explicatio* nostra; idque non solum apud indoctos, verum etiam apud doctissimos constat.

## CAPUT II

### DE SINGULIS CRITERIIS VERI

#### 39. *Notio et partitio criteriorum.*

1<sup>o</sup> Criteria sunt varia media seu instrumenta, quorum ope veritatem certò assequi possumus.

2<sup>o</sup> Atqui octo criteria suppetunt homini ad veritatem obtinendam, scilicet sensus externi, intelligentia, conscientia, memoria, ratio tum deductiva, tum inductiva, auctoritas tum divina, tum humana.

Vel enim veritatem ipsi invenimus, vel ab aliis accipimus. *Si prius*, vel intuitivè, vel ratiocinio. Si *intuitivè*, quadruplex occurrit criterium, nempe sensus externi, qui percipiunt veritates reales externas; intelligentia, quæ speculatur propriè veritates ideales; conscientia, quæ præsentia mentis phænomena testatur, et memoria, quæ servat veritates olim perceptas, sive externas, sive internas. — Si veritatem *ratiocinio* adipiscimur, vel syllogismo, vel inductione, prout ex universali particulare, vel ex particulari universale inferimus.

*Si posterius*, i. e. si agatur de veritatibus quas non ipsi invenimus, sed ab aliis accipimus, referuntur ad auctoritatem aut divinam, aut humanam, prout Dei, vel hominum testimonio confidimus. — De singulis his criteriis disputandum nobis est.